

## SECTIO III.

## §. I.

**Q**uod denique ; & ultimo attinet ad Præjudicia practica AVARITIAE , quæ propriam utilitatem ubique profundamento ac principio habent , respiciemus , secundum ordinem huc usque servatum , non solum ad Præjudicia circa præcepta Theologiae Positivæ , sed & Theologiae Moralis occupata .

## §. II.

Præjudicia practica , quæ circa præcepta Theologiae Positivæ occupantur , versantur circa doctrinam de Deo , Providentia divina , Beatisudine eterna , Conversione & Regeneratione .

## §. III.

Quod itaque attinet ad Præjudicia practica circa doctrinam de Deo , ea huc redeunt :

1. Deum sibi concipiunt tanquam hominibus parum benignum ac fidum , aut in servandis verbi sui promissis constanter . Nempe hi homines ἀσοεγοι , cum ipsi omni amore & benignitate destituantur , non solum alios homines , sed & ipsum Deum ex suo ingenio aestimant . Sed conf. Ps. CXXXVI, 1. XXXIII, 5. Prov. VIII, 31. Ps. CIV, 31.

2. Deum esse nimis durum , dum non omnia hujus mundi bona in ipsorum sinum effundit , & ipsis nonnunquam adversa quedam evenire sinit . Sed conf. Deut. XXXII, 4. Apoc. XVI, 7.

## §. IV.

Præjudicia practica circa Providentiam divinam ea sunt :

1. Putant , se sibi ipsis posse prospicere , illudque ut faciant necessarium esse , ( man müsse auch auf das künftige sehen /

100